



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Osculum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

487. Quæritur. An damnationi subiaceat opinio docens, esse licitum ordinari Diaconum, vel cum sola impositione manuum, vel cum sola traditione Libri Evangeliorum?

Resp. Subjacere, ratio est, quia tutius est pro valore Sacramenti utrumque præstare, nam si alterum deficiat fortasse Sacramentum erit nullum.

488. Quæritur. An circa materiam Ordinationis Subdiaconi sit aliqua opinio damnationi subjecta?

Resp. Negativè. Ratio est, quia licet aliqui dixerint, materiam Subdiaconatus esse traditionem libri Epistolarum, hæc tamen opinio ab omnibus rejicitur; quare omnino tenenda est tanquam tutissima sententia docens, materiam Subdiaconatus esse traditionem Calicis vacui cum Patena vacua.

O S C U L U M.

489. Quæritur. An sit probabilis opinio asserens, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensualem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis?

Resp. Eam opinionem esse falsam, & expressè damnatam ab Alexand. VII. cum propof. 40. & ante illius damnationem Clemens VIII. & Paulus V. jussierant Inquisitoribus fidei denunciari asserentes, in osculis ob meram delectationem veneream habitis non contineri culpam mortalem; ratio est, quia delectatio, seu complacentia deliberata de objecto mortali, puta de homicidio, de furto, & similibus, se per est mortalis, atqui

oscu-

osculum, cui annectitur delectatio venerea, fert complacentiam deliberatam de objecto mortali, nempe de fornicatione, ad quam talis delectatio natura sua ordinatur: ergo huiusmodi osculum mortalem culpam continet, etiam secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis, idem dicendum de amplexibus, tactibus, verbis obscenis, amatoriis, & aspectibus erga objecta proximè ad eam delectationem inducentia, in qua non datur materiæ parvitas.

490. Quæritur. An illæ actiones, quæ proximè ad delectationem sensualem, immò etiam ad conspurcationem, & immunditiam inducunt, possunt licitè poni data sufficienti causa honesta?

Resp. Affirmativè si fiant secluso periculo consensus, sic Chirurgus potest mederi etiam pudenda Mulieris, si aliter ea curare non possit; at seclusa causa sufficienti, & gravi iuxta gravitatem periculi, cui quis se exponit, poni nequeunt actiones, quæ proximè inducunt ad eas delectationes, etiam si Homo proponat iis non consentire, propterea nequit Homo conversationibus, comœdiis &c. interesse, quæ maximè provocant ad delectationes carnales, nam qui amat periculum, in illo peribit.

491. Quæritur. An oscula, tactus, & amplexus Fratris cum Sorore, vel quæ fiunt more patrio in signum benevolentiae, amicitiae honestae, vel Urbanitatis, etiam si ad delectationem carnalem inducant, cessante periculo consentiendi, culpam continent?

Resp. Negativè, eo quod a fine honesto cohonestentur, & in his non sit turpitudinis, sed castus amor; quod si motus sensualita-

tis, & delectatio venerea insurgat, sufficit quod reprimatur, & nullus ei consensus præstetur (personis verò Ecclesiasticis, maximè Religiosis est valdè indecens.) idemque dicas de omnibus actionibus utilibus, in quibus prævidetur pollutio secutura citra periculum consensus, ut sunt sæpè curatio vulnerum in partibus pudendis, auditio Confessionum, studium de rebus turpibus causa docendi, allocutio cum fœminis causa pietatis, vel urbanitatis, & similes, in quibus venerei spiritus commoveri solent; quia omnes prædictæ actiones de se non sunt intrinsecè malæ.

492. Quæritur. An Puella sine peccato possit habere amatorem, & sinere se ab illo videri, & cum illo discurrere?

Resp. Affirmant plures, quando id fit sine scandalo, & ad finem nubendi, id ad quem possunt parentes concedere, maximè si sint paris conditionis; verum tutior est sententia opposita, ne in se, vel in parte permittat delectationes carnales; difficile enim est, quod quis, videns quem diligit, & cum ipso discurret, non commoveatur; quod si peccatum ullum grave; neque periculum, vel scandalum adsint inter istos amatores, non videntur esse illiciti eorum aspectus, ac discursus, sed magna prudentia opus est in Confessario ad rectè examinandum, & distinguendum, ne errent in materia tam periculosa.

493. Quæritur. An Sponsis de futuro licita sint oscula, tactus, & amplexus?

Resp. Negativè, nam sub mortali eis vetita sunt, ac si Sponsi non essent, ideo cavenda, utpote ad copulam conducentia: similiter delectatio carnalis illis de copula

ha-

habenda, & Viduis de copula habita tempore matrimonii prohibetur; peccant etiam mortaliter Parentes, vel Tutores, & Custodes Sponsæ, qui eam solam relinquunt cum Sponso propter periculum, ut inter se ad turpia procedant, nisi ignorantia, vel inadvertentia eos excuset.

P E C C A T U M.

494. **Q**Uæritur. An in statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & ad demeritum contrahendum sufficiat libertas in causa sua, seu in peccato originali, & libertate Adami peccantis?

Resp. Status naturæ lapsæ, seu corruptæ is dicitur, in quo iustitia originali exuti, & peccato contaminati nascimur, in isto nulla est necessitas in homine ad peccandum transmissa in eum ab Adamo liberè peccante, ut aliqui docuerunt, sed eorum opinio est jam expressè, damnata ab Alexandro VIII. *cum propos. 1. in secundo Decreto*: Ratio est, quia Adæ peccato nostra libertas nec amissa, nec extincta fuit, sed in nostra potestate est tentationi consentire, vel eidem resistere, & præcepta implere, divina auxiliante gratia: legas Trident. Sess. 6. Can. 5. & 6. & Constit. quæ incipit: *Ex omnibus S. Pii V. in qua reprobandur plures propositiones Michaelis Baii, & inter eas 39. & 64. ac aliam Const. Innoc. X. editam contra 5. propositiones Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, in qua ut hæretica damnata manet hæc quarta propositio, quæ habet: Ad merendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.*